

Pranešimai

DE LATINITATE VIVA HODIERNAQUE IN EUROPA ACROASIS IN CATHEDRA CLASSICAE PHILOGOGIAE VILNENSIS STUDIORUM UNIVERSITATIS HABITA, DIE MARTIS 26° MENSIS APRILIS ANNO MMXI

Alexander Feye

Professeur a l'École Internationale d'Humanités gréco-latines Schola Nova

Prooemium

Summo honore gaudioque mihi est coram vobis hanc allocutionem habere, etsi philologus classicus nullatenus sum, neque linguam Latinam calleo. Quaeso igitur ut meis numerosis vitiis erroribusque indulgeatis. Ut sine ambagibus dicam, musicus sum et fidiculis cano. Quare igitur coram vobis hodie sedeam rogabitur.

Altera ex parte, praeter musicam, linguam Latinam gestarumque rerum historiam adulescentulos doceo, in quodam Belgico sui generis jurisque lyceo c.n. Schola Nova, in quo lingua Latina colitur viva.

Cur vestras regiones petiverim vobis aperiam. Cum, mense Januario exeunte, in Belgio prima occasione nostro Carolo Lyvens obviam fui, idem mihi narravit se propagare velle vividam dilectissimamque Latinitatem. Ideoque nobis in mentem venit hanc acroasin moderari, quapropter tibi, o Carole, gratias palam ingentes ago.

Imprimis paucissimis verbis Latinitatis vivae historiae cursum adumbrare velim, deinde de quibusdam duabus eminentibus scholis necnon methodis novis adhibitis verba faciam, deinceps cur mea quidem

sententia lingua Latina discenda sit patefaciam, postremoque de quodam opere fundato nuperrime condito eiusque inceptis referam.

De vivae atque universalis linguae historia vicesimo saeculo

In tota Europa lingua Latina per multa saecula in usu fuit et usque ad bella universalis culta est. Lithuanicam rerum conditionem prorsus ignoro, nec tamen dubito quin etiam hic undevicesimo saeculo adhuc flourerint litterae Latinae.

Quod ad occidentales Europae fines attinet, multi eruditi homines Latine non modo scribere solebant, sed etiam docere.

Paulatim, motu nationalistico vernaculis sermonibus favente, Gallico videlicet imprimis, Britannico deinceps, postremo Germanico, magistri usum linguae Latinae in docendo saeculo undevicesimo ad finem vergente gradatim reliquerunt.

Anno 1891, in dictionario professoris Quicherat, Dominus Emilius Chatelain loquebatur his verbis :

« *Quoddam inceptum, quod maximopere laudari debet, a diario c.n. « Phœnix » est nobis*

traditum, vult efficere ut lingua Latina sit universalis.¹ »

Hac sententia plane demonstratur motum pro viva Latinitate iam XIX^o saeculo radices egisse. Neque saeculo XX^o ineunte defuerunt homines studiosi Latinitatis resuscitandae divulgandaeque, sed eos praetermittamus quo citius ad nostra tempora vela tendamus.

« Post alterum bellum mundanum tota mundi scaena mutata est : nationes Europaeae olim praepotentes tunc iacent prostratae. Conspicitis ruinis, nonnulli egregii cives operam dare coeperunt ad Europae membra disiuncta in unum corpus iterum redigenda. Hic non est loquendum de Iohanne Monnet vel aliis notis Communitatis Europaeae conditoribus, sed de Iohanne Cappelle, qui eadem sollicitudine impulsus, conditor fuit motus Latinitatis vivae.

Qui vir, ingeniarius et universitatis Nanciensis (v. Nancy) rector, iam diu cogitabat de difficultate communicationis scientificae, cum plures pluresque linguae adhiberentur in scriptis scientificis. Anno 1952 in periodico Educationis Nationalis symbolam divulgat, c.t. « Lingua Latina an turris Babeliana ? ». Dicit linguam auxiliarem eandemque internationalem esse necessariam ; nullam vero linguam nationalem ab universis accipi posse, linguas autem artificiales non florere. Itaque suadet ut revertamur ad linguam Latinam, hodiernis necessitatibus necessario aptatam.

Multi homines hoc scripto valde commoti sunt, qui undique Iohannem Cappelle incitaverunt ut hoc propositum duceret ad effectum. Sic factum est ut diebus 3-6 m. Septembris anni 1956 Avennionem institueret « Viventis Linguae Latinae causa conventum universum ».

Programma constabat e quattuor argumentis :
– *de grammatica Latina, relatore Pr. Iohanne Bayet Francogallo ;*

- *de pronuntiatu Latino, relatore Pr. Erico Burck Kilionensi (v. Kiel) Germano ;*
- *de paedagogia linguae Latinae, relatore Bonamico Actensi (Goodwin Beach) Americano ;*
- *de novis vocabulis Latinis, relatore Guerino Pacitti Italo.*

Hic primus Avennionensis conventus certe bene successit ; interfuerunt enim circiter 200 participes e 22 nationibus oriundi. Multae universitates legatos miserunt. Multi homines tunc spem posuerunt in proximum renascentem usum linguae Latinae. Quem ad provehendum consociatio c.n. Vita Latina condita est et a medio anno 1957 periodicum Latinum Vita Latina inscriptum edi coeptum est, Avennionem a domo editoria Aubanel.

Iohannes Cappelle acta magis amabat quam verba ; quare, dimisso conventu, quattuor consilia instituit, quae vota inter conventum prolata ad effectum ducerent. Nuntiavit etiam proximum conventum Bruxellis anno 1958 habitum iri ; multi enim Belgae actuosissime participaverant primum conventum.

Eodem fere tempore in Italia senator Tossati, qui tunc praeerat Instituto Studiorum Romanorum, memorabilem orationem Latinam palam fecit, ubi inter alia dixit haec : « Omnium gentium votis undique in dies vehementius flagitabatur ut Europa coalescat... Si quis tamen altius voluerit vestigare, invenerit Europam laborare non tam in nova omnino unitate adipiscenda quam in amissa quodammodo unitate requirenda. Europae enim ubicumque homines Latine locuti sunt vel saltem studium Latinae linguae et humanitatis studium pervenerit ».

Sed res non progrediebantur tanta celeritate, quantam optaverat Iohannes Cappelle. Ab administris publicis et a studiorum universitatibus pecuniam exspectabat, sed nihil venit. Sero nuntiatum est fieri non posse ut secundus conventus Bruxellis haberetur, quia anno 1958 Belgae nimis occupati erant Exhibitione Universali. Cappelle conventum in annum 1959 distulit eumque Lugduni (v. Lyon) ins-

¹ Quicherat, *Dictionnaire Français-Latin*, editum Lutetiae, anno 1891, in prooemio.

tituit in Instituto Nationali Scientiarum Applicatarum cui praeerat. »²

Ineuntibus annis sexagesimis, Coetu Europaeo condito, lingua communis Europae, Latina scilicet, viris politicis proposita est, sed quibusdam de causis disputatio de lingua universali tum procrastinata est et lingua Anglica sensim et pedetemptim propagabatur.

« Secundum conventum participant 150 homines ; nihil tamen ad effectum ductum est. Valde deceptus Johannes Cappelle paulo post deponit munus Vitae Latinae praesidis.

Ei succedit Petrus Grimal, litterarum Latinarum professor Sorbonnensis. Tunc mutatur animus Vitae Latinae nec ullus iam est impetus.

Tertius conventus habetur Strateburgi anno 1963, praesidente Petro Grimal. Etsi iterum sunt circiter 200 participes, nil novi affertur ; eadem vota iterantur. Displicet Petro Grimal conventum internationalem in Francogallia iterum instituere ; quin Romae fiat ? Hanc occasionem capit Petrus Romanelli, clarus archaeologus et praeses Instituti Studiorum Romanorum, qui « Omnium gentium ac nationum conventum » Romae anno 1966 tempore Paschali instituit, cui titulus « Conventus Latinis litteris linguaeque fovendae ».

Circiter 500 sunt participes, sed nihil utile fit ; Petrus Romanelli suadet ut in gremio sui Instituti condatur Academia Latina. Duo postea habebuntur Vitae Latinae conventus, Avennionense anno 1969 et ultimum Pali (v. Pau in meridiana Gallia) anno 1975. Motus « Vita Latina » evanescit.

Anno 1970 in Dacoromania habetur primus conventus Academiae Romanae.

Anno 1972 Ianus Novak, musicus Bohemoslovacus necnon strenuus fautor Latinitatis

Vivae, exsul post « Ver Pragense », excogitat et in Italia Roboreti (v. Rovereto) primum instituit « Ludos Latinos » ; ibi iucunde commiscetur musica et viva Latinitas. ³»

Alia vero ex parte, iam anno 1966 ingenarius quidam Gallus nomine Clemente Dessessard methodum Latinam Assimil more confecit c.t. « Lingua Latina sine molestia », cuius venum data sunt 60 000 exemplaria.

« Anno autem 1973, doctor Bavarus monachus Caelestis Eichenseer primum seminarium in Bavaria instituit ; hoc fuit initium longae seminariorum seriei quorum effectus ad Latinitatem vivam divulgandam maximus fuit. Eodem anno etiam habetur, in insula Melita, secundus conventus Academiae Latinae. Anno 1977 Dacaruae in Senegalia fit tertius conventus Academiae Latinae, invitante Leopoldo Sedar Senghor.

Anno 1981 Augustae Treverorum (v. Trier) in Germania habetur quartus Academiae Latinae conventus. Ibi Caelestis Eichenseer et prof. Christianus Helfer, cuius Eichenseer cooperatores facti sunt in studiorum universitate Saravipontana, per integram sessionem de Latinitate Viva agunt ; ambo multa utilia opera divulgabunt ad neologismos spectantia. Ibi etiam prof. Valahfridus Stroh Monacensis (v. München) ad Latinitatem vivam convertitur et una cum Iano Novak Ludos Latinos instituit, id quod facere perget post Iani Novak praematuram mortem.

Anno 1987, Gaio Licoppe invitante, Tuomo Pekkanen suum opus c.t. « Kalevala Latina » Bruxellis palam praesentat in aedibus Communitatis Europaeae. Hac occasione Latinitatem vivam invenit, cuius statim strenuus fautor fit.⁴ »

Posthac Pater Caelestis Eichenseer perrexit sessiones linguae Latinae vivae pro-

² Gaius Licoppe, *De motu Latinitatis vivae*, acroasis Granivici facta anno 1989.


³ Ibidem.

⁴ Ibidem.

ponere ubique in Europa innumerabilibus occasionibus et per fere 30 annos.

Ideoque quotannis vel in Belgio, vel in Germania, vel Francogallia, Italia, Polonia, Austria vel Finlandia fiebant seminaria.

Deinceps secundum talem rationem, medicus Belga Gaius Licoppe, vivae Latinitatis strenuus fautor, Domum Latinam Bruxellis condidit, periodicum Latinum c.n. *Melissa* alternisque mensibus in lucem edere coepit inde ab anno 1984 et seminaria itineraque in tota Europa moderavit.



Ex plurimis Patris Eichenseer et Doctoris Licoppe asseclis, obiter citemus duo.


Terentius Turnberg Americanus, postquam cuidam sessioni in Domo Latina Bruxellensi participaverat, prima verba Latina protulit, continuo necnon breve temporis spatium artem loquendi didicit. Duobus annis post, cathedram vivae linguae Latinae in Universitate Kentuckiana (Foederatis Americae Civitatibus) instituit unde tot tantique insignes locutores egrediuntur.

In Finlandia autem, Tuomo Pekkanen tot tantaque fecit pro Latinitate viva ut propemodum secunda Finnis videatur lingua.

Huius generis exempla tantopere abundant ut hic per singula ire non possim.

Exstant enim hodie circuli Latine loquentium in ferme unaquaque civitate, quorum indices apud sedes interretiales reperietis⁵.

Nuper auspiciis Commissionis Europaeae « Diarium Europae » (videatis infra) editum est, quo testatur hoc inceptum viros politicos tandem cura sollicitasse, quippe quod permultis lycaeis traditur.



Duae scholae, ad exemplum, ubi Latine discunt discipuli

Schola Nova, gymnasium classicum internationale in Belgica


Pater meus Stephanus Feye, studiis humanisticis flagrans classicorumque auctorum cultor ac translator, nos (me cum fratre sororibusque) in gymnasio classico educari valde cupiebat neque talem scholam invenire potuit, propterea quod tota institutio Belgica anno 1970 renovata erat et grada-

⁵ http://www.circuluslatinusinterretialis.co.uk/html/circuli_latini.html <http://www.circulus.fr/vincula/vincula.php#circuli>

tim latenterque studia vere classica, quae dicuntur, disparuerant, immo, Res Publica legem protulerat secundum quam ad humanistarum doctrinam regredi non liceret.

Hac pessima condicione data, legisque fundamentalibus inspectis (nam leges Rei Publicae institutionem omnino liberam esse non sinunt), Stephanus Feye anno 1995 scholam sui juris privatamque condidit ut tradito modo doceatur lingua Graeca Latinaque.

Aliquanto post, pater Domus Latinae Bruxellensis praesidi G. Licoppe occurrit. Cuius consilia secutus, statim vivum sermonem per scholas in parvulo gymnasio nuper creato diffusit.



Inde ab illo tempore, cuncti Scholae Novae magistri coeperunt Latine docere grammaticam, auctores verum etiam Graecam linguam pariter atque historiam mediaevalem.

Sicut fit in Belgio cum ceteris linguis discendis, i.e. Batavica, Theodisca Anglicaque, ubi ab exordio ac sine intermissione

immerguntur (ut dicitur) discipuli in ipsam linguam quo facilius expediteque loquantur atque auctorum mentem intelligant. Proh dolor, adhuc non valuimus linguam Graecam secundum illam „naturalem“ rationem docere.

Latinum igitur sermonem tamquam sermonem patrium pueri puellaeque fando discunt, altera autem ex parte grammatica analysisque nullatenus contemnantur.

Cuius methodi emolumentum praecipuum est quod per scholas gaudio afficiuntur, eis enim scopus studiorum patet oculis.

Dicendum quoque Scholam Novam esse omnino liberam, procul religiosis vel antireligiosis controversiis. Semper firmiterque enim rem religiosam ad familiam pertinere existimavimus.

Enititur etiam efficere ut discipuli nostri ad mentem criticam quae dicitur adducantur. Quo pacto instituti, quamlibet disciplinam in academiis et studiorum universitatibus excolere verique Europae cives fieri poterunt.

Hisce ultimis annis Schola Nova accipit ad sexaginta quinque iuvenes, quorum nonnulli ex extraneis Europae regionibus oriundi sunt.

Singulis annis ii, qui cursum quinque annorum perficiunt, pericula apud Rem Publicam subeunt ut lauream sive bacca-laureatum impetrent. Hactenus iam circiter quinquaginta discipuli universitatem petiverunt quo variis disciplinis studerent inter quas ingeniariorum scientiae, mathematica, medicina, iurisprudentia, musica, philologia tam classica quam Romanica ac Germanica numerantur.

Quidam ex Scholae Novae alumnis in studiorum universitate versantes, anno bis-

millesimo decimo circulum Latine loquentium c.n. INSULA LATINA condiderunt.

Academia Vivarium Novum

Paulo ante bismillennium, conditum est *Vivarium Novum* in Italia meridiana ab Aloisio Miraglia.

Qui Professor, egregius Latinista necnon Hellenista, hoc nomen academiae suae dedit ad Cassiodori paedagogium insulamque Vivaram referens. Quae insula in mari Mediterraneo non longe ab Campanis oris sita est. Illic, per septem annos, senex quidam Punzo nomine, humanarum pariter ac naturalium rerum peritissimus, una cum iuvenibus inter sedecim et viginti quinque annos natis, auctores legebat doctrinamque suam tradebat. Ita factum est ut asseclae utramque humanisticam linguam tamquam patrium sermonem novissent. Ex sodalibus Aloisius Miraglia enititur qui maximis conventibus habitis conatus est adhucque summis viribus animum politicorum virorum movere ut non modo Academiae faveant verum etiam humanitas vera renovetur.

Ille primum conventum omnium gentium anno 1991 instruxit Prochytae, cui titulus erat „Latinitas tradatur sane, minime hoc modo tradatur“.

Dein alterum conventum de „Arte docendi“ Salerni anno 1998 instituit, ubi fere trecenti doctissimi viri feminaeque ex universo terrarum orbe ad arma convocati sunt, qui humanisticis litteris in totius Europae scholis periclitantibus subvenirent, incredulisque quam efficaces essent aliae docendi rationes monstrarent.

Post conventum condita est Montellae, in Campaniae vallibus silvis undique ves-

titis, Academia supradicta. Ex studiorum universitatibus missi iuvenes confluere ita coeperunt ut unum vel plures annos ad humanitatem informarentur.

Tempore autem quo ipse *Vivarium Novum* frequentavi, per unum mensem scilicet, discipuli ex Albania, Brasilia, Mexico, Foederatis Civitatibus Americae, Bulgaria, Britannia, Canada, Gallia, Germania, Bohemia, Slovacia et Ruthenia in Academia versabantur. Scholae quotidie sex horas Graece et Latine celebrabantur. Sic, uno die vix elapso, quasi miracula fiebant. Post unum mensem omnes sodales quorum plerique ne ullum quidem Latinum verbum antea protulerant expedite ornatique sermocinabantur atque interdum per unam noctem totum opus Latinum quiddam perlegere solebant.

Praeterea domus editoria constituta est qua Neovivarienses quam latissime novas docendi rationes divulgare conantur.

Dein anno 2007 ordinatus est maximus conventus omnium gentium Neapoli cui titulus inditus est HUMANITAS, qui congressus in magnificentissimis urbis locis per unam integram hebdomadem celebratus est. Ibi ab eruditissimis hominibus ex toto terrarum orbe plane demonstratum est humanitatem veram colendam ac necessario renovandam esse recentioribus methodis et in gymnasiis et in universitatibus.

Hunc conventum seminariorum series subsecuta est „Litterarum vis“ inscripta quae decem per dies in Hungaria habita est.

Anno vero 2009, Academia novam sedem in suburbio Romano accepit lautissimam prope aeriportum, in qua plures discipuli admittuntur. Maecenatibus adju-

vantibus, alumni totum annum in Academia degunt, neque unum euronem quidem rependere debent.

Cum foedera cum nonnullis universitatibus extraneis facta sint, alumni paenultimum annum, verbi gratia, in *Vivario Novo* degunt, attamen eis postea ad annum ulteriorem in sua uinversitate transire licet.

Illic unus et solus in universo orbe terrarum locus est quo totus in utramque linguam immergaris.

De novis methodis adhibendis

Praeter methodum Assimil cum disculo auscultandam de qua verba supra iam fecimus, potissima mihi videtur esse paedagogia Ørbergiana.

Johannes Ørberg, Danus magister linguae Latinae, per plurimos annos verba frequentiora ex variarum aetatum auctorum operibus excerpta recensuit. Deinceps a facilioribus ad difficiliora ea disposuit ut methodum conficeret tironibus aptissimam quae ex duobus voluminibus constat: primum „Familia Romana“ nuncupatur; alterum vero „Roma aeterna“.

Ratione quae „per se illustrata“ appellatur semper usus est ; omnia ergo Latine explanantur. Simul atque historia cuiusdam Romanae familiae narratur, grammatica post capitula et vocabula nova in marginibus tractantur. Insuper quantitas syllabarum inscribuntur.

Sic magistri idoneum instrumentum habent quo possunt sine mora discipulos Latine alloqui ac rogitare. Imprimis facile „ita“ aut „minime“ dumtaxat responderint antequam satis augebunt suam copiam verborum.

Neovivarienses etiam aptaverunt methodum „Ἀθήναζε“ ad Graecam linguam simili ratione discendam.

Cur lingua Latina coli debet?

Cur vivis methodis?

Imprimis abrogare velim tres praeiudicatas fallacesque opiniones in quibus nituntur ei qui doctrinam humanisticam vituperant vel negligunt, quae reapse saepe audiuntur.

- Primum omnium, linguam Latinam esse iam pridem mortuam. Nam haec sunt prorsus dicta eorum qui eam vivere non siverunt vel potius conscii occidere cupiverunt. Fateamur nihilominus copiam locutorum valde decrevisse post omnium gentium bella, hoc non factum est tempore Romanorum aut paulo post ut multi credunt neque modo pueruli! Saepe quidem auditur linguam Arpinatis mortuam esse, sed quisnam callidissimus poterit umquam indicare diem vel annum quo obierit supremum? Ut argumentum numeris fulciatur: minus quam millesimam partem⁶ litterarum Latinarum ad antiquitatem pertinere sciatis quaeso!
- Dein, Latinam linguam esse Ecclesiae sermonem dumtaxat. Nihil falsius! Est enim lingua scientifica praestantissima totius Europae ab humanistarum aevo, lingua medicinae, botanicae, zoologiae, chemiae, physicae et ita porro. Newton scripsit sua „Principia“ et caetera magni momenti opera Latine, Johannes Dee, G. Galilaeus, N. Copernicus, Cartesius ipse, etsi nonnulla vulgo scripsit, pleraque Latine edidit.
- Denique linguam Latinam difficilem ac taediosam esse. Certe si

⁶ Jürgen Leonhardt, *La grande histoire du latin*, CNRS éditions, Lutetiae, 2010, p. 6

eam tamquam thesaurum antiquum in museo servamus, id est si non loquimur, taediosior molestiorque discipulis videtur. Ultro Romani Latine sermocinabantur ac de qualibet re disputabant, nos vero, non valeremus? Insuper non omnes debent summum genus Ciceronianum observare. Quisnam Gallorum eiusdem generis loquelis ac Racine vel Molière nunc utatur?

Quales sunt huius linguae virtutes?

- Vis linguae Latinae in eo stat quod si eam a pueritia bene didicerimus, volumen evolvimus et procul abs cunctationibus prima lectione animum cuiuscumque auctoris qui fortasse viginti tria saecula ante nos vixit intelligimus. Ut plane demonstravit Valafridus Stroh in libro „Latein ist tot, es lebe Latein!“⁷, cum non hominum multitudo, sed humanistae qui saepissime ad probissimos auctores se referebant linguam Latinam adhibuerint, reapse quasi integra mansit nec vicissitudines nec mutationes maioris momenti passa est. Est unica lingua quae cum scriptoribus qui ante aetatem nostram vixerunt colloquium verum habere queamus. Itaque lingua Latina temporis limites saepe transgreditur.
- Postremo, altera ac potissima virtus haec est: Ubi duo Europaei sermone Latino utuntur, nemo vexatur, nam erga linguam Latinam pares sunt,

⁷ Cfr Wilfried Stroh, *Le latin est mort, vive le latin !*, éd. Les Belles Lettres, Paris, 2009, p. 98 « lingua Latina firmior fit in formam immutabilem etiamnunc vigentem. »

neque eius usus impedit quo minus unusquisque suum sermonem servet adhibeatque. Lingua Latina nemini est, immo omnibus nationibus! Limites ergo etiam inter civitates transgreditur.

Cogitemus autem de nummo communi in Europa, postquam nummaria unio acta est, maior pars hominum concordiam inter populos aucturam esse gavisa est. Tametsi quodam rerum praeteritarum desiderio affecti quidam nummum nationalem servare cupiebant, omnes volentes nolentes morem suum relinquere debuerunt. Idem de Latina lingua non fieret cum omnes linguae servarentur. Immo eo melius nostrum proprium sermonem funditus intelligemus quo magis in Latinam incubuerimus.

Insuper lingua communi accepta, Coetus Europaei administri pecuniae haud parvae copiae sibi parcerent. Etenim immensa pecunia ad extemporales interpretationes efficiendas quotidie impenditur.

Opus Fundatum c.n. *Humanitas Europae*

Cum in tota Europa pauci dispersique sint humanitatis, cultusque civilis Europaei necnon Latinae linguae vivae fautores, nonne vires inter eos conjungere deceat?

Ut hoc consilium in actum deducamus, omniaque consilia quae supra descripsimus floreat, frater meus et ego anno praeterito opus fundatum c.n. „Humanitas Europae“ Bruxellis condidimus. Quo pacto commercium nexusque inter humanistas provehere discipulosque linguam vividam nostram discere in locis idoneis sinere volumus.

Hac in re, foederibus inter scholas totius Europae jectis, rete adeo extensum

conficere conamur ut alumni futuriq̄ue magistri in illis scholis facilius doceantur.

Conclusio

Longe procul a dissensionibus discrimini-
busque inter Latinistas, scilicet philologos
contra expertos, vel cuiusdam Ecclesiae
fautores adversus scientificos, vel etiam
eos qui linguae communi favent contra
diffidentes, rhetores Ciceronianos et neo-
latinistas, spes est ut omnes humanitatis
studiosi congregentur, concordiamque per
linguam communem afferant, cum neutra
sit.

Nam, nisi quicquam brevi fecerimus,
mox maior pars litterarum Europae, qua-
rum 85 centesimae partes Latinis litteris
constant, in oblivionem verisimiliter cadet.

Gauta 2011-08-23
Priimta publikuoti 2011-11-14

Econtra, si adversus duas vere mortuas
linguas certare cupimus, expugnare fas
est, ut Prof. Von Albrecht ait⁸, imprimis
sermonem barbaricum vocibus vanis
sensuque vacuis plenum quo nostra aetate
mercatores ut melius merces venum dent
utuntur, alteroque loco politicorum nostro-
rum **linguam ligneam**, quae dicitur, qua
fere nihil dicunt, aut res pollicentur quas
iam pro certo habent se dare nec posse nec
velle!

Hae sunt linguae mortuae, non lingua
qua inter nos, Carole, quotidie utimur!

⁸ Cfr Michaël von Albrecht, *acroasis introductoria*,
conventus « Humanitas », Neapoli 2007. Etiam reperit-
tur apud rete omnium gentium: pars prima <http://www.youtube.com/watch?v=fRFd5pfszT4> et altera <http://www.youtube.com/watch?v=EmwEIpaxF-U>

Autoriaus adresas:
Chausée de Namur 100
1315 Ayencurti
Belgium
el. paštas: alexandre.feye@belgacom.net